



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

VI. De Immutabilitate, & æternitate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38884

vacuo: nisi dicere malis, juxta modum loquendi Patrum, Deum extra coelos esse in seipso.

* *Nota 1.* Ubiquitatem Dei non tantum dicere existentiam illius, sed etiam connotare existentiam aliarum rerum, in quibus Deus existere dicitur. Immenfitatem verò Dei, dicere tantum illius existentiam infinitè diffusam, sive aliud existat, sive non. Unde illa non competit Deo necessario, & ab aeterno, sed libere, & in tempore: Hæc verò illi convenit necessario, & ab aeterno, cum nullam creaturam connotet, sed dicat solam præsentiam Dei, ab illius substantia minimè distinctam.

* *Nota 2.* Immenfitatem absolutè nulli creaturæ posse competere; ubiquitous verò aliquatenus posse: quia potest Deus creare Angelum, qui totum mundum occupet. Qui tamen non erit necessario in rebus omnibus, quantumcumque augeantur, aut etiam in tota latitudine spatii, quod occupare potest; cum ad quandam partem, vel punctum illius possit præsentiam suam restringere. Unde ubiquitous participabit divinæ longe inferiorem; cum Deus ita sit ubique, ut repugnet aliquid produci, in quo ipse non sit, aut quod præsentiam suam ad spatium aliquod finitum contrahat.

CAPUT VI.

De Immutabilitate, & Aeternitate Dei.

RESOLUTIO I. *Deusque solus est immutabilis.]*
 PRIOR PARS EST CERTA ex fide, ut satis potest colligi, tum ex Scriptura sacra *Malach. 3.* Ego enim Dominus, & non mutor *Iacobi 1.* Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, &c. tum ex definitione Concilii Lateranensis relata in capite firmiter. *Ratio* autè est, quia si Deus est mutabilis, hoc est vel secundum substantiam, vel secundum accidentia: non primum, quia cum sit ens à se, ab alio generari, aut corrumpi non potest;

non secundum, quia Deus non est capax ullius accidentis ex dictis capite 3. *Confirmatur*, nam Deus non potest mutari mutatione perfectiva, cum habeat in se plenitudinem essendi; neque amissiva, cum habeat omnia eadem necessitate & independentia qua est.

Posterior pars est etiam de fide, ut colligitur ex verbis illis 1. ad Timoth. 6. Qui solus habet immortalitatem, id est, immutabilitatem, ut explicant Patres, & præclare inter alios noster Bernardus sermone 81. in Cant. Ratio vero est, quia quidquid est præter Deum, est creatura; at omnis creatura pendet à Deo quoad sui productionem, & conservationem, potestque ab eo in nihilum redigi, & ita quoad substantiam mutari: cumque non sit omnino simplex, & infinite perfecta, potest novas qualitates recipere, & aliis privari; potest etiam ab uno in alium locum transferri, cum non sit immensa; & tandem, si est intellectualis, in suis electionibus aliisque operationibus internis varias mutationes subire potest.

ROSOLUTIO II. *Deus est verè & propriè æternus, EST DE FIDE, ut potest colligi ex Scriptura, Deuteronomii 32. Vivo ego in æternum, dicit Dominus. Psal. 101. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient, tum ex Symbolo Athanasii, ubi ita habetur: Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus. Tum denique ex capite firmiter, ubi idem statuitur.*

Ratio autem à priori sumitur ab immutabilitate Dei, siquidem illud est æternum, quod habet necessariam & immutabilem permanentiam in esse: Deus hoc habet, cum sit ens à se, & ab alio independens; quare verè & propriè est æternus. Confirmatur, nam ens absolute necessarium non potest habere initium vel finem essendi; at hoc est habere durationem infinitam, adeoque esse æternum.

* *Nota 1. Æternitatem communiter à Theologis, ex Boëtio sic describi Æternitas est interminabilis vitæ, tota simul, & perfecta possessio. Dicitur perfecta possessio.*

possessio, quia res essentialiter æterna tam perfectè possidet vitam, ut per nullam potentiam ab ea unquam excidere possit. *Dicitur*, tota, ad denotandum bonum illud non possideri per partes, & successivè, sed totum simul quoad integram suam perfectionem, & latitudinem, Ibi, inquit Augustinus in *Psal. 101.* nihil est præteritum, quasi jam non sit, nihil est futurum, quasi nondum sit; non est ibi nisi est, non est ibi fuit, & erit. Unde Pater æternus quotidie dicere potest ad Filium, Ego hodie genui te, quia eum genuit in æternitate, quæ non habet præteritum aut futurum, sed est tota semper simul. *Dicitur* tandem, interminabilis vitæ, quia æternitas est duratio vitæ perfectissimæ, qualis ea est quæ principio ac fine caret.

Nota 2. prædictam descriptionem æternitatis durationi Dei perfectè competere; ea enim non distinguitur à substantia Dei, quæ principio & fine caret, adeoque est interminabilis: caret etiam partibus sibi invicem succedentibus, ac proinde totum suum esse simul habet. Deus tandem est perfectissimè vivens, vitamque modo perfectissimo, nempe à se possidet. Nec refert, quod Scriptura Deo interdum tribuat varias temporum differentias: ita enim loquitur, ut ostendat durationem Dei, etsi in se indivisibilem, complecti omnia tempora, iisque coexistere, sicut anima rationalis coexistit corpori quanto, & punctum in medio circuli positum toti circumferentiæ. Hinc autem collige, nihil propriè esse æternū præter Deum, etsi nonnulla illius æternitatem impropriè participare dicantur, sive quia diu durant, sive quia nunquam desinunt, &c.

* *Quæres*, quomodo se habeat æternitas divina, cum coexistentia prædicta. *Respondeo* 1. æternitatem ab ea aliquo modo distingui, quatenus æternitas dicit præcisè durationem Dei, coexistentia verò connotat simultaneam aliorum durationem. 2. Talem coexistentiam necessario oriri ex æternitate dura-

tionis divinæ, supposita quarundam rerum creatione: eo ipso enim quod Deus æternus est, sequitur nihil unquam existere cuius ipse durationi non coexistat. 3. Licet æternitas Dei sit prorsus immutabilis, variationem aliquam in dicta coexistentia reperiri, prout ipsum tempus in se variatur. Dicimus enim Deum hodie non coexistere diei hesternæ, aut crastinæ, nec cras coexisturum hodiernæ, &c.

RESOLUTIO III. *Ævum est duratio indivisibilis & tota simul.* Est communis contra Bonaventuram, eaque ratione probatur: nam cum duratio nihil aliud sit, quam ipsum esse rei ut permanens; non potest esse in duratione successio, nisi res ipsa quæ durat, habeat in se successionem aliquam, ut patet in tempore, quod non alia de causa est successivum, nisi quia motus, cuius est duratio, habet in se partes priores & posteriores; atqui æterna, ut Angeli, non habent in se ullam successionem, sed sunt entia indivisibilia & tota simul: ergo neque ævum, quod est eorum duratio, talem successionem ferre potest. *Confirmatur:* nam si in permanentia Angeli in suo esse contingeret successio, similiter dici posset, in æterna Verbi generatione successionem reperiri, cum ea semper duret, juxta illud *Psal. 2.* Ego hodie genui te.

Neque tamen propterea ævum adæquandum est æternitati: hæc enim neque in se, neque in sibi adjunctis successionem patitur; & ex intrinseca necessitate est indeficiens, seu continens actu vim coexistendi durationi infinitæ. At duratio Angeli in sibi adjunctis successionem aliquam pati potest, habetque duntaxat infinitatem quandam negativam, & secundum quid, quatenus
non finitur tempore.

* *
*